





[Faint handwritten mark or signature]

[Faint rectangular stamp or label on the right side of the cover]





PARTITIONVM
Theologicarum

DISPUTATIO XXXIV.

De
INVOCATIONE,
IEIUNIO, VOTO
ET IVRAMENTO.

In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wittebergensi proposita

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

VVILHELMO NIGRINO CADA-
nensi Bohemo.

Horis locôq; consuetis.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.





VIRIS

*Reverendis & Clarissimis, S. S. Theologiae
Doctoribus eximijs, de Ecclesiâ optimè meritis,
optimeq; merentibus;*

**Dn. PHILIPPO GALLO, ECCLE-
siæ Metropolitanæ Magdeburgensis Pasto-
ri vigilantissimo.**

**Dn. ÆGIDIO STRAVCHIO, EC-
clesiæ Delitianæ Superintendenti, ac Pa-
stori dignissimo;**


*Dominis, Fautoribus, & Promotoribus
suis, perpetuò honorandis;*

**Exercitium hoc Theologicum
In grati animi testificationem,
observantiæ monumentum;**

D, D, D.

Respondens.

TYPVS HVIVS DISPVATIONIS.





DISPUTATIO XXXIV.

De

Invocatione, Ieiunio, Voto, & Iuramento.

CONTINUATIO.

Hilorum, qui in Christo sanctificati sunt, & bonis operibus incumbunt, precipuum studium ac pietatis excitamentum est *Invocatio*. Quia igitur in precedente disputatione de bonis operibus egimus, consequens esse videtur, ut de illa hac vice agamus.

Thesis I.

Invocatio est vel simplex, vel cum obligatione quâdam conjuncta.

Invocatio in genere quid sit.

2. *Invocatio simplex in genere est cultus divinus, quo à DEO propter Christum mediatorem bona necessaria petimus, & pro acceptis beneficiis DEO gratias agimus cum celebratione nominis divini, juxta illud, Psal. 50. v. 15. Invocame in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis: & Coloss. 4. v. 1. Instate orationi. vigilantes in eâ, cum gratiarum actione.*

Invocationis species due.

3. *Vnde duæ oriuntur Invocationis species: Precatio, & gratiarum actio. Quæ primùm explicandæ: deinde illarum circumstantiæ recensendæ.*

Precatio.

4. *Precatio, quæ alias quoq; κατ' ἐξοχήν, & vocabulo strictè sumpto,*

sumpto, invocatio dicitur, commodè explicari potest per causas & effectus.

5. Cause sunt vel efficiens & finis: vel materia & forma.

6. Efficiens est vel interna; vel *ωγενεα* *αετινη*.

Causa efficiens.

7. Efficiens interna est vel principalis, vel instrumentalis.

Interna.

8. Principalis est Spiritus Sanctus, qui studium invocandi in nobis excitat, & cor nostrum ad DEVM attollit. Rom. 8. v. 15.

Principalis.

26. Gal. 4. v. 6. 1. Cor. 12. v. 13. Vnde peculiari nomine in sacris literis dicitur spiritus precum, Zach. 12. v. 10.

9. Efficiens interna instrumentalis est vera fides, Rom. 10.

Instrumentalis.

v. 14. Matth. 21. v. 22. Luc. 1. v. 6.

10. Cause *ωγενεα* *αετινη* quinque numerari possunt. Prima est ipsa DEI voluntas, declarata partim mandato, partim

Cause

promissionibus, partim comminationibus, Matth. 7. v. 7. cap.

ωγενεα

18. v. 19. Marc. 13. v. 33. Rom. 12. v. 12. Esa. 41. v. 17. 1. Cor. 5. v. 6.

αετινη

Psal. 50. v. 15. & 79. v. 6. D. n. 9. v. 13. Nam licet DEVS sit omniscius & optimè noverit, quid nobis opus sit, priusquam petamus ab eo: Vult nihilominus in orationibus exerceri desiderium nostrum. Nobis verba necessaria sunt (inquit Augustinus)

quinque

quibus commoneamur, quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus. Et alibi: DEVS positi a se voluit, ne

1.

inferamur in tentationem, quod poterat nobis etiam non orantibus dare: sed oratione nostra NOS voluit admoneri, a quo accipiamus hac beneficia.

Deinde etiam adhuc alia accedit causa, nempe ut quoque alij intelligant, unde tam ingentia bona in nos sunt collata. Hinc

jubemur corda nostra coram DEO effundere, Psa. 62. v. 8. 9.

& Christus M. rc. 10. v. 51. & Luc. 18. v. 40. Vult ut cæci, animi

vota specialiter exprimant, ne illorum restitutio videatur fortuita: utque simul alij ad potentiam divinam agnoscendam &

celebrandam deducantur.

11. *Secunda*: Vocatio nostra. In Christo enim Iesu omnes

2.

facti sumus reges & sacerdotes DEI ad offerendum hostias spirituales DEO, acceptabiles per Iesum Christum. 1. Pet. 2. v. 5.

12. *Tertia*: Necessitas; Omnes enim singulis momentis indigemus auxilio Dei. Hinc Paulus toties monet Ecclesias, ut

3.

pro se, verbo DEI, & aliis sanctis orent, Eph. 6. v. 18. 2. Thess. 3.

v. 1. Rom. 1. v. 30.

A 3

13. Quar-



13. *Quarta*: Vis precum. Illis enim impetramus omnis generis corporalia & spiritualia beneficia, vincimus & repellimus illis diabolum, ejusq; organa.
14. *Quinta*. Exempla sanctorum Prophetarum, Apostolorum, & cum primis ipsius Christi, qui totam propemodum vitam in perpetuis precibus exegit: Ecclesiamq; nihil aliud esse voluit, quam domum precationum. *Matth. 21. v. 13.*
- Finis precum.* 15. *Finis precum* est duplex: ultimus & subordinatus. Is est gloria DEI, cui debita potentiae, bonitatis & justitiae laus in precibus tribuitur: *Matth. 6. v. 13.* Hic est salus & utilitas nostra & fratrum nostrorum. Quandoquidem in eum oramus finem, ut consequamur ea, per quae beati sumus, Deumq; hoc cultu honoremus. *Matth. 4. v. 10.*
- Materia precum.* 16. Ad *materiam* precum refertur & subjectum & obiectum.
- Subiectum.* 17. *Subiectum*, quod etiam terminus a quo dicitur, in genere constitui potest universa DEI Ecclesia, tam quae in caelis cum capite suo triumphat: tam quae ejus spiritu ac ductu adhuc militat in terra: In specie vero si certas precum formulas attendamus; simulq; causas plerasq; impellentes: subjectum proprie constituet Ecclesia militans hisce in terris.
18. Nam tamen non eamus inficias, & Angelos bonos, & defunctorum animas in manu & sinu Abrahæ constitutas, DEVM assiduis celebrare laudibus, pacemq; ac *eudoxiam* precari hominibus: eos tamen seorsim pro singulorum casibus adversis DEVM interpellare, neq; mandato neq; exemplo ex scriptura demonstrari potest.
19. Profecto sancti in caelis degentes, ut singulares res, personas, preces, calamitates, percipere nequeunt; ita neque singulari earum sensu afficiuntur. Quiescunt enim a laboribus, postquam sua aetate consilio DEI inservierunt. *Apoc. 14. v. 13. Act. 13. v. 36.*
- Obiectum.* 20. Obiectum sive terminus ad quem, est duplex: 1. Id quod petitur. 2. Is a quo petitur.
- Id quod petitur, est duplex.* 21. Illud est duplex: Indeterminatum vel determinatum.
22. *Inde-*



22. *Indeterminatum* id dicimus: quando precantes genera- *Indetermi-*
tim se exaudiri petunt, non exprimentes quid velint, cum sa- *min tunc*
tis id DEO notum esse putent. *Psa. 4. v. 1. & Psa. 5. v. 1.*
23. *Determinatum*, quando speciatim declarant & expri- *Determi-*
munt, quid à DEO expectent ac desiderent. *natum.*
24. Objectum hoc in personale & reale distinguitur.
25. Illo vel nos ipsos vel alios intelligimus. Hi vel sunt vi- *Obiectum*
vi, vel defuncti. *personale.*
26. Vivi sunt vel amici vel hostes.
27. Pro amicis orandum esse extra controversiam est. De *Pro amicis*
hostibus forsan dubium moveri posset. *orandum.*
28. Hostes sunt duplices: vel nostri privati, vel DEI & to- *Pro hosti-*
tius Ecclesiae. *bus nostris*
orandum.
29. Pro hostibus nostris orandum esse docet & mandat ipse *Pro hosti-*
Christus *Matth. 5. v. 44. Luc. 23. v. 34.* *bus nostris*
orandum.
30. DEI contra hostes, qui Ecclesiam nefariis consiliis ar- *Pro hosti-*
misq; perditum eunt, imprecationibus ac diris devovere, neq; *bus nostris*
scriptura neq; caritas Christiana prohibet. *Psal. 83. v. 17. Psa. 12.*
v. 4. Psal. 28. v. 4. Item 68. v. 2. Item 69. v. 27. Iudic. 5. v. 23. Ie-
rem. 17. v. 18.
31. Preces pro defunctis nullum omnino fundamentum *Pro hosti-*
habent in scriptura. *bus nostris*
orandum.
32. Reale objectum complectitur bona, quæ apprecamur: *Obiectum*
& mala, quæ deprecamur, & interdum quoq; aliis impre- *reale.*
camur.
33. Bona sunt vel temporalia vel æterna.
34. De æternis & spiritualibus primo omnium solliciti es- *Bona eter-*
se debemus, *Matth. 6. v. 33. Luc. 11. v. 2.* eaq; sine ulla conditio- *na.*
ne flagitare: quando quidem DEVS horum promissionem ju-
rejurando confirmavit. *Ezech. 33. v. 11. Heb. 6. v. 17.*
35. Postmodum etiam temporalium bonorum mentio- *Bona temp-*
nem facere debemus, hac tamen addita conditione, quatenus *poralia.*
idem DEO ita visum fuerit, & nostræ saluti expediat. *1. Ioh. 5.*
v. 14. Matth. 26. v. 39. 2. Sam. 15. v. 26. 1. Sam. 3. 19.
36. Atq; hætenus de priorè objecti parte. Posterior designat *Posterior*
eum, ad quem preces nostræ sunt dirigendæ. Est autem is unus *objecti*
DEVS

pater nempe is, ad quem preces diriguntur. DEVS noster, pater, filius, & spiritus sanctus. In hunc enim solum ut credendum, ita ipse solus invocandus est. Rom. 10. v. 14.

37. Extant enim testimonia satis clara, quæ docent, orationem ad DEVM, scilicet, qui unus est essentia & trinus personis, dirigendam esse, 1. Joh. 3. v. 21. Hanc fiduciam habeamus erga DEVM. Act. 2. v. 21. *Omnis quicumq; invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Act. 8. v. 22. *Roga DEVM, si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Rom. 1. v. 8. *Gratias ago DEO meo per Iesum Christum.* Rom. 15. v. 33. *DEVS pacis sit cum omnibus vobis, Amen.* 1. Thess. 2. v. 13. *Gratias agimus DEO ind. sinenter.* 2. Thess. 1. v. 3. *Gratias agimus DEO semper de omnibus vobis.*

Pater est invocandus. 32. Dantur etiam testimonia, in quibus expressa personarum fit mentio, patris, scilicet, filij & spiritus sancti. 1. Pet. 1. v. 3. *Laudandus est DEVS & pater Domini nostri Iesu Christi.* Item, *Filius invocandus.* v. 17. *Patrem invocati citra personarum respectum iudicantem.* Verum de patre forsan nemo neget: De filio sunt qui dubitant; utrum qua DEVS solummodò, an etiam, qua mediator sit invocandus.

39. Imò cæci & superstitiosi Pontificij, qui sibi imaginantur, mortuorum hominum invocationem ex scripturis probari posse, ipsius filij DEI invocationem ex sacris probari posse impudenter negant.

40. Verum enim verò hos fanaticos refutat ipse Christus Joh. 5. v. 23. quando jubet, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Et addit rationem: *Qui enim non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum.* Deinde Apostoli quoq; & alij pij facti & obsequio suo. Joh. 20. v. 28. Thomas Iesum adoravit, ut Dominum ac DEVM suum. Luc. 24. v. 52. Discipuli omnes Christum ascendentem in cælum adorant. Act. 7. v. 59. Stephanus invocavit nomen Iesu. Et Rom. 15. v. 30. inquit Apostolus: *Obsecramus vos per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium etiam cum patre conjungunt, ubi ea, quæ solus DEVS dare potest, ab utroq; precantur fideles.* 1. Thess. 3. v. 11. *Ipse verò DEVS & pater noster & Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos.* 2. Thess. 2. v. 16. *Ipse Dominus noster Iesus Christus & DEVS*



DEVS ac pater noster, qui dilexit nos, &c. stabiliat vos in omni sermone ac opere.

41. Certè ipsissimi Angeli eum adorant, & omne genu ad nomen ejus flecti jubetur. *Hebr. 1. v. 6. Phil. 2. v. 10.* neq; veteres Prophetæ ignorarunt, per solum hunc Mediatorem preces exaudiri. *Psal. 45. v. 12. Item. 72. v. 11. 15. Dan. 9. v. 17.*

42. In hoc subjecto, quia duæ sunt naturæ, divina, ac humana, non hæc seorsim neq; illa seorsim adoranda est, sed una eademq; adoratione in unitate personæ utraq; simul est adoranda.

43. Nam licet Tileno libenter concedamus, quod sola divina adorationis religiosæ causa sit: inde tamen inferri statim nequit humanam naturam in personâ τὸ λόγῳ subsistentem adorandam non esse. Certè totus Christus est adorandus. Ergò & naturæ totum Christum constituentes: qui enim humanam naturam excludunt à cultu adorationis, non possunt non personam Christi distrahere: adorant enim Christum ex parte, quâ DEVS; & ex parte non adorant: quâ homo est. Sed hac de re alibi fusiùs actum est.

44. Spiritui sancto quoq; invocatio & adoratio vendicatur: quia fides Christiana, cujus objectum unus est DEVS, ipsum respicit: Jam fides & invocatio res sunt conjunctissimæ, rectissimeq; ab illâ ad hanc ratiocinatio instituitur.

45. Deinde fidei hujus ac Deitatis unitatem baptismus quoq; commendat: neq; dubium ullum est, quin verus ac unus censendus sit DEVS is, in cujus nomine baptisamur, quiq; in Patre, Filio, ac Spiritu Sancto, clarissimè in Christi baptismo sese patefecit. Unde ita argumentamur. Quicumq; est verus DEVS, is est invocandus. Spiritus Sanctus est verus DEVS. Ergò Spiritus sanctus est invocandus. 2. In cujus nomine baptisamur, illius etiam tenemur adorare. At in nomine Spiritus sancti baptisamur. Ergò etiam ejus nomen tenemur adorare.

46. Πόρισμα. Sancti cœlitibus hic invocationis honos non debetur. 1. quia scriptura unum Christum nobis proponit Mediatorem, propitiatorium, Pontificem, & intercessorem; Hunc igitur solum ut mediatorem invocemus. 1. *Ioh. 2. v. 12.* quia neq; præ-

Utraq; natura in Christo una adoratione est adoranda.

Spiritus S. adorandus.

Sanctis cœlitibus adorationis cultus non debetur.

B

ceptum



ceptum neq; promissio neq; exemplum ex scripturis de invo-
candis sanctis potest afferri. 3. quia sancti nostras preces non
audiunt. *Esa. 36. v. 16.*

47. Nec eos quicquam privat recens a se confictum discrimen inter λατρείαν & δολείαν. 1. quia scriptura sacra hisce vo-
cibus promiscue utitur. 2. quia ipsi Pontificij non tantum δολείαι, sed etiam λατρείαι cultu sanctos defunctos adorant.
Verum *maledictus, qui confidit in homine, & carnem ponit brachium suum.* *Jerem. 17. v. 5.*

48. Alias concedimus, illorum memoriam non tantum proponi posse, sed etiam debere. 1. ut eorum fidem imitemur. *Hebr. 3. v. 7.* 2. ut Deo agamus gratias, quod tales Ecclesiae Doctores concesserit. 3. ut virtutes illorum quisq; pro sua vocatione imitemur. *Iac. 5. v. 10.*

**Forma pre-
cationis.**

**Suis requi-
sita.**

49. Forma precationis consistit in colloquio cum DEO: quod tria requirit: 1. animi miseriae & indignitatis demissionem. 2. ardens auxilij divini desiderium. 3. certam exauditio- nis fiduciam. Haec enim quando absunt: non vera ac viva est precatio, sed precationis inane simulachrum & exsanguis cadaver, licet aliis in externo cultu nihil videatur deesse.

**1. Anima
demissio.**

Esa. 1. De primo formae requisito legimus *Judith. 8. v. 16.* *Humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, servi- entes illi, dicamus sentes Domino, ut secundum voluntatem suam nobiscum faciat misericordiam, Ibid. v. 20. Expectemus humiles cons- lationem eius. Ibid. c. 9. v. 16. Superbi ab initio non placuerunt tibi sed humilium ac mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

**2. Ardens
auxilij di-
vini desi-
derium.**

51. Deinde, adsit in vera precatione verum desiderium, quale fuit in Davide, *Psal. 38. v. 9: 10. Domine, ante te, omne de- siderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. Et Jonas 2. v. 8. inquit: Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recorda- tus sum, & venit ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.*

**Fiducia
certa.**

52. Tandem ad auxilij divini desiderium accedat, tan- quam complementum, fiducia certa. *Hebr. 4. v. 16. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut consequamur misericordiam, & gra- tiam.*



Etiam inveniamus ad opportunum auxilium. Jac. 1. v. 5. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, postulet autem in FIDE, nihil hesitans. Item, Matth. 21. vers. 22. & Marc. 11. vers. 24. Omnia quaecumq; orantes petitis, CREDITE, quod accipietis, & evenient vobis.

53. Procul igitur hic facessat Pontificiorum de dubitatione dogma, fiducia exauditionis è diametro repugnans: quodq; passim refellit Psaltes, nihil habens antiquius, quam ut ejusmodi fluctus, quibus orantes etiam inviti jaectantur componant. Psal. 4. v. 3. Psal. 11. v. 1. Item. 55. v. 16. Item. 56. v. 9. &c.

Pontificio-
rū dogma
de dubita-
tione.

54. Fiducia hujus fundamentum est Christus, mediator noster. Vera enim fide in Dominum nostrum Jesum Christum statuimus, nos per eum DEO reconciliatos esse, & propter eundem exaudiri. 1. Ioh. 5. *Hac est fiducia, quam habemus apud eum, quod si petierimus secundum voluntatem eius, audit nos Eph. 3. v. 12. Per quem habemus audaciam & aditum in fiducia, quae est per fidem illius. Hebr. 13. v. 15. Per ipsum offerimus semper DEO hostiam laudis, &c.*

Fiducia
funda-
mentum
Christus.

55. Fiducia igitur, quae aliud habet è *δρακίσμα*, nempe Mariam Petrum vel alium Sanctum, vera fiducia non est. Ubi elegantissima Lutheri sententia, quae extat in Psal. 120. Tom. 4. Lat. fol. 413. observanda est. *Domine, non est arbitrij mei, oremne annon orem: Tu precepisti; agnosco igitur, me debere parere tibi: Sed indignus sum, at preceptum, & voluntas tua digna est, cui paream: promissio tua digna est: in qua confidam. Oro itaq; in dignitate non meā, non Mariae, non Petri, sed in dignitate nominis Iesu, & DEI precipientis & mandantis.*

56. Inquis. Quid de bonis operibus censendum? Si & illa nullum hinc habent respectum, qui igitur fit, quod sancti in precibus suis sapius commemorent causam & bona opera sua? Videntur certè illis, tanquam meritis confidere?

Bona ope-
ra.

57. Minimè gentium. Sed duntaxat quasi testes adoptionis suae adhibent, ut quia solos regeneratos DEVM exauditurum esse, Psal. 34. v. 16. 1. Ioh. 3. v. 22. sciunt; eò fidentiùs divinum flagitent auxilium: quò certius hoc spiritus testimonium sentiunt.

58. Neq; etiā tam opera jaectant sua, quā patris coelestis munera

prædicant. Norunt enim eum habenti dare, & vetera beneficia nobis augere. Hæc igitur causa est, quod veterum commemorationem cum petitione novorum jungant.

Mora auxilij.

59. Circa fiduciam illam veram tenendum est: duas esse res, quæ pios circa Invocationem maximè exercent: nempe *moram auxilij & modum liberationis.*

60. Illa quidem, DEVS enim nonnunquam, partim propter gloriam nominis sui amplificandam, partim propter firmitatem spei, & patientiæ nostræ exercitium & incrementum; partim propter assiduitatem orandi in nobis excitandam: partim etiam propter majorem nos juvandi ac liberandi opportunitatem, utq; liberatio nostra gloriosior fiat, auxilium differt: Quas causas nos non semper in tantâ imbecillitate intelligimus, vel illarum recordamur. Hinc ipse David clamat, Psal. 13. v. 2. *Usquequo Domine oblivisceris mei in sinem, usquequo abscondis faciem tuam à me?*

Modus liberationis.

61. Deinde non quoq; servat semper DEVS noster eundem liberationis modum: cum non rarò respiciendo ad nostram utilitatem, non voluntatem, nos exaudiat & juvet.

Tentationibus quid obijciendum.

62. Hisce igitur tentationibus obijciamus, illasq; superemus fiducia illâ verâ, quæ adjunctam semper habet spem certam & patientiam Christianam: quibus instructi, instanter in precibus immoremur, Deoq; nostro nec tempus, nec modum liberationis præscribamus, sed omnia ipsius sapientiæ & benignitati humiliter committamus, imitantes exemplum Davidis, qui Psal. 73. v. 25. inquit. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram: Deficiat sanè caro mea & cor meum: Petra cordis mei & pars mea, DEVS in æternum.* Videatur Psal. 27. v. 13. Psal. 42. v. 6. Abac. 2. v. 3. *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

Amen.

63. Ex fiducia hac solenne illud nequitur epiphonema, *Amen.* Quod, ut quidam eleganter loquitur ac scribit, tanquam ἐπιφώνημα de jam superatis calamitatum & miseriarum hostibus, sancto quodam pectoris tripudio succinimus.

Effectus & fructus precum.

64. Causas sequitur effectus ac fructus precum: qui non est satisfactio vel meritum, uti volunt Pontificij: sed exaudi-

tio,



tio, & illorum, quæ petimus, vel duntaxat quibus in hac vitâ nobis opus est, impetratio: illa enim melius novit DEVS, quàm nosmet ipsi. Quocirca salutem potius nostram, quàm cupiditatem respiciens, quædam nobis negat propitius, quæ aliis concedit iratus.

65. Ex qua causarum & effectorum consideratione, ejusmodi colligimus definitionem: Precatio est cultus divinus, vel colloquium cum Deo, ex vera fiducia in Christum mediatorem institutum, & à spiritu sancto in cordibus nostris excitatum, quo ab unico & solo vero DEO nostro omnis generis bona, cum temporalia, tum æterna, humiliter petimus.

*Precatio
quid.*

66. Cæterum, qui in genere scit, quid sit gratitudo sive gratiarum actio, is quoq; facile ex modo explicatis colliget, quid sit gratiarum actio erga DEVM.

67. In genere *Gratitudo* est duabus summis virtutibus, veritate nimirum, & justitiâ, composita. Quandoquidem veritas agnoscit & proficitur, unde fit acceptum beneficium; Justitia porro præstat mutua officia.

*Gratitudo
in genere.*

68. Quia igitur veritati opponitur mendacium, & justitiæ injustitia; sequitur quod sicut gratus, verax & justus est; ita ingratus, & mendax, & injustus sit.

69. Concluditur inde, quod gratiarum actio in genere sit professio, unde fit acceptum beneficium, & simul obligatio ad officia mutua.

70. Ergo *gratiarum actio* in specie erga DEVM est cultus & adoratio, qua juxta veritatis normam agnoscimus & profiteamur, a Deo nos accepisse beneficia, Deumq; verè esse omnipotentem præsentem, & opitulatorem; simulq; juxta præscriptum justitiæ, nos ad officia Deo grata obligamus.

*Gratiarum
actio in
specie.*

71. Cum enim hæc gratiarum actio studium quoq; novæ obedientiæ complectatur; non mente duntaxat & voce fieri; verum etiam in moribus vitæ luceres, ac piis officiis juxta utramq; tabulam decalogi declarari debet, juxta illud Psal. 50. *Immola DEO sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.*

72. Porro gratiarum actio erga DEVM summè necessaria est. 1. Quia, cum mendacium & injustitia sint horribilia pec-

*Gratiarum
actio est
necessaria.*

eira, manifestum est ingratitude erga Deum horrendum
 scelus esse. 2. quia expressum DEI mandatum eam requirit.
 Psal. 50. v. 25. *Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & GLO-*
RIFICABIS ME. 1. Theff. 5. v. 16. *Semper gaudere, indefinenter ora-*
te, in omnibus GRATIAS AGITE. 1. Tim. 2. v. 1. 3. Ut nosmet
 ipsos admoneamus, bona, auxilia, liberationes ex periculis,
 & id genus alia, non casu nobis obvenire: sed à solo DEO
 omnis boni fonte & autore offerri, nosq; revera DEO curæ
 esse, à Deo nostras preces audiri, & nos juvari. 4. Ut confes-
 sio nostra, quæ fit in gratiarum actionibus, apud alios sit te-
 stimonium de providentiâ DEI, aliosq; confirmet, ut certò
 & firmiter credant, res humanas DEO curæ esse, adeoq; se-
 riò invitentur ad agnitionem & celebrationem nominis di-
 vini.

- Circum-** 73. Cœterum Circumstantiæ invocationis divinæ nihil
stantiæ in- sunt aliud, quàm ejus accidentia; quæ vel externa sunt, sive
vocationis. extrinsecus adjacentia, vel interna.
- Externa.** 74. Externa sunt, Tempus & Locus.
- Tempus.** 75. Tempus quod attinet; dicimus semper orandum
 esse, Luc. 18. v. 1. *Oportet orare & non deficere.* Et Paulus 1. Theff. 5.
 v. 16. *Sine intermissione orate.* Syr. 18. v. 22. *Non impediarius orare*
semper.
- Locus.** 76. Ut porro omni tempore, ita quoq; omni loco oran-
 dum est, tum publicè in Ecclesiâ, tum privatim ubiq;. In ve-
 teri quidem Testamento DEVS ad propitiatorium & taber-
 naculum voluit invocari. Exod. 25. Verùm in Novo Testamento
 hæc sunt abolita, juxta illud Christi, Joh. 4. v. 21. *Non in monte Sa-*
maria, neq; Hierosolymis, sed in spiritu ac veritate veri adoratores Patrem
adorabunt: Orandum itaq; in cœtu Ecclesiæ. Coloss. 3. v. 16.
 Eph. 5. v. 19. Et domi Matth. 6. v. 6. *Nec opus est Papistico &*
superstitioso locorum delectu.
- Interna.** 77. Interna sunt vel positiva vel privativum.
78. Positiva sunt, gestus, & sonus oris.
- Gestus.** 79. Gestum pro magnitudine calamitatis & affectus in-
 sanctorum precibus varium exhibent sacræ literæ, nulla ta-
 men

men certâ lege definiuerunt. Videmus enim quosdam in genua procumbere, 1. Reg. 8. vers. 54. Luc. 22. v. 41. Act. 9. v. 40. Act. 7. v. 60. Eph. 3. v. 14. quosdam in faciem, ut Num. 16. v. 22. e. 20. v. 16. Deut. 9. vers. 18. Ios. 5. v. 14. Ezech. 9. v. 8. Et II. v. 13. quosdam stare erectos, 1. Reg. 19. vers. 4. quosdam jacere, Gen. 49. 2. Sam. 12. v. 6. Esa. 3. alios oculos attollere, Psal. 121. v. 1. Psal. 123. vers. 1. Psal. 141. v. 8. Marc. 7. v. 34. Iohan. 11. v. 41. Et e. 37. v. 1. alios demittere. Luc. 18. v. 13. alios manus in cœlum levare, Exod. 9. v. 29. Et. 17. v. 11. 1. Reg. 8. v. 22. Psal. 44. v. 21. Et 88. v. 10. Vnde Paulus monet puras manus esse levandas ad DEUM. 1. Tim. 2. v. 8. alios pectus percutere, Luc. 18. v. 13. Paulus virum detecto capite: mulierem verò velato orare jubet, 1. Cor. 11. v. 4. & seqq.

80. *Sonus oris* non simpliciter est necessarius. Nam optima interdum preces sive orationes voce & oris sono carent, ut Moses Exod. 14. v. 15. dicitur ad DEUM clamasse, qui tamen os aperuisse non legitur; & Annæ matris Samuelis labiorum commendatur motus, 1. Sam. 1. v. 13. Cujus tamen oratio non audiebatur, quandoquidem DEVS non vocis sed cordis auditor est. *Cyprianus l. 1. de Orat. dom.*

81. Vocis nihilominus usus maximè conducit in publicis precibus ac gratiarum actionibus, ad mutuam ædificationem & DEI celebrationem. Col. 3. v. 16.

82. *Sonus oris* interdum est inarticulatus, cuiusmodi sunt suspiria, gemitus, lachrymæ; alius articulatus, qui sermo propriè dicitur.

83. Sermo consideratur, vel respectu materiæ, quæ vox est, vel respectu formalis qualitatis, quæ est, ut ita loquamur, intelligibilitas.

84. Ratione materiæ nempe vocis, consideratus sermo dividitur in simplicem vel cantu temperatum.

85. Simplicis sermonis vox vel clara est & alta, vel est remissa. Illa clamor dicitur, quo usi passim leguntur veteres: ista precatus est publicanus, Luc. 18. v. 13.

86. Can-



Cantus. 86. Cantus est vel Choralis, ut loquuntur, vel figuralis.

Choralis. 87. Choralem cantum, quem in vulgaribus nostris habemus cantilenis sacris, quādo simul & in uni sono canit tota Ecclesia, ad ædificationem internosq; animi motus excitandos, nec non Dei gloriam amplificandam, multum valere, extra omnem controversiam est, & quotidiana id docet experientia: imò ejusmodi cantus non carent speciali mandato scripturæ: Eph. 5. v. 19. *Loquentes inter vos mutuò per Psalmos & hymnos & cantiones spirituales, canentes & psallentes in corde vestro Domino.* Item: Coloss. 3. v. 16. *Sermo Christi inhabitet in vobis largè cum omni sapentiâ docendo & commonendo vos mutuò psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus, cum gratiâ canentes in corde vestro Domino.*

88. Exempla desideras? Et illa in promptu sunt. Christus post cœnam à se institutam unâ cum Apostolis hymnum cecinit, Matth. 26. Et Plinius Secundus in quadam epistola ad Trajanum scribit. *Christianos consuevisse hymnos antelucanos Christo suo canere.*

Cantus figurali. 89. Figuralem sive symphonicum cantum in publicis cœtibus nonnulli planè prohibent. 1. quia is ad aurium magis oblectationem, quàm ad animorum ædificationem est comparatus. 2. quia cum veteribus ejusmodi vocis sonus ac flexus probandus est, qui vicinior pronuncianti est, quàm canenti.

90. Verum enim verò istæ rationes tanti momenti non sunt, ut ex nostris templis & Ecclesiis cantum symphonicum ejicere possint. Si enim cantus in Ecclesia à Deo probatur, cur non & artificialis? Cùm ars perficiat naturam. Ut igitur ars Rhetorica orationem, quam pastor habet ad populum, non vitiosam efficit, sed gratam & acceptam, sic quoq; musica in Ecclesiis rectè usurpata, cantum piorum non deformat, sed efficaciorē reddit. Ut enim adhibito in tempore artificio rhetorico, pastor pro concione potest excitare affectus & motus pios in auditorum animis, ita etiam musica, quæ ad excitandos affectus inventa videtur, maximum hîc habet momentum. Ad

91. Ad primam igitur rationem dicimus distinguendum *Verus usus*
inter abusum & inter usum. Verus usus Musicæ non est, oble- *Musicæ.*
ctare aures sed internos affectus movere: Quod autem qui-
dam contrario modo illa utantur, nos non probamus: Verum
abusus rei non tollit rem ipsam. Inter auditores quoq; reperi-
untur, qui potius attendunt ad artificiosam cantionis dispo-
sitionem & elocutionem, quam ad ipsas res? Propterea ne res
confuse sunt proponendæ, nullo adhibito artificio rhetorico?
Non puto.

92. Ad secundam. Etiam ibi abusus cum vero usu confun-
ditur. Contingit interdum, ut qui canunt, potius intenti sint
ad modum canendi, quam ad pronunciationem: idq; inde,
quod modulos musicos non exactè teneant; ne igitur vitiosè
canere videantur, pronunciationem planè intermittunt. Id
verò in Ecclesiasticis nostris conventibus fieri minimè debe-
bat: Cum ibi non pronuntiatio propter cantum, sed cantus
propter pronunciationem adhibeatur: ideoq; non hæc illi
sed illa huic inserviat. Quocirca chori musici rectores
admonendi sunt sedulo, ut privatim suos discipulos & can-
tores exerceant, antequam in publicum prodeant: ac in pu-
blicis conventibus ijs duntaxat symphoniæ utantur cantile-
nis, quarum & moduli musici & textus, uti loquuntur, ipsi
cantoribus sunt notissimi.

93. Deinde, delectus inter cantilenas habendus, 1. ne sint
nimis leves, sed gravitatem utiq; præ se ferant. 2. Ne voces
varietate multiplex perplexa sint & intricata: sed simplicitate
& temporum æqualitate quâdam temperata, ut non tan-
tum sonum audiamus, sed verba quoq; rectè intelliga-
mus.

94. Quæ quando ritè observantur, cantilenæ symphoni-
acæ, non tantum extra abusum sunt, sed maximè quoq; fa-
ciunt ad ædificationem, & affectuum spiritualium commo-
tionem.

95. Huc referantur etiam instrumenta inanimata, sive *Organa,*
ea sint *ψηλάφωνα*, sive *ἑμψυεσσα*, quorum legitimus usus in
Ecclesiasticis conventibus non improbandus, cum & illa mi-
ris

ris modis ad attentionem inflamment animos illorum, qui sciunt, omnem spiritum laudare debere Dominum, nosq; DEVM nostrum cum Davide verè celebrare in organis & Cymbalis benè sonantibus.

96. Ratione formalis qualitatis, nempe intelligibilitatis, sermonem dividimus in peregrinum, & à precantibus non intellectum: & vernaculum, ac à precantibus intellectum.

97. Illum non; hunc probamus. 1. quia DEVS principaliter ad mentem, non ad verba; ad affectum cordis, non ad effectum oris, respicit, juxta vulgatos versus.

Non vox, sed votum; non chordula musica, sed cor:

Nō clamans, sed amans, cantat in aure Dei.

2. Invocatio debet fieri in verà fide: At hæc non sine notitiâ, & assensu, fiduciaq; cordis. 3. quia lingua ut aliàs, sic etiã hoc loco debet esse interpretis mentis, debet eandè in Dei cognitione excitare, retinere, & peculiariter Dei laudes mète cõceptas enarrare & prædicare, juxta illud: *Affectus cordis, verbis excitatur orantis.*

Jejunium.

98. Privatium accidens precationum est Jejunium. Id enim precibus tum privatis tum publicis tanquam præparatorium piè ac rectè conjungitur, modò nec sit superstitiosum nec opinione meritorium, 1. Cor. 7. v. 5. Vtrumq; conjungit Apostolus & mandat: *Vacetis ieiunio & precationi*: non aliter atq; apud Joëlem c. 1. v. 14. *Præparate ieiunium, vocate cæcum, congregate senes, omnes habitatores terra in domum Iehovæ DEI vestri, & clamate ad Iehovam.* Sic Anna prophetissa dicitur jejuniis ac precationibus servivisse DEO, Luc. 2. v. 27. Et Act. 13. v. 3. Post Jejunium & precationem, Prophetæ & Doctores, Ecclesiæ Antiochenæ, Barnabæ & Paulo imposuere manus. Act. 14. v. 23. Hi quoq; creatos presbyteros cum jejuniis commendant Deo.

Jejunium quot modis sumatur.

99. Sumitur autem jejunium in sacris non modo eodem. 1. Idem est, quod fames ex calamitate orta, quando nimirum aut cælo occluso aut terrà obdurata, aut bellicis tumultibus quæq; vastantur, ut temporibus Abrahami, Isaaci, Jacobi, Eliæ,

Elia, Gen. 12. v. 19. l. 41. v. 53. 1. Reg. 18. v. 2. 2. Idem est quod
a^oritia, esuries, ex necessitate & penuria cibi. Act. 27. v. 21. 33.
3. Aliud etiam fuit jejunium Pauli, quando visione exterritus,
tribus diebus neq; vidit, neq; bibit. Act. 9. v. 9. 4. Aliud etiam
jejunium Christi, quod plane miraculosum, Matth. 4. v. 2. sic
Mosis Exod. 24. v. 16. Et: 34. v. 34. Item Elia, 1. Reg. 19. vers. 8.
5. Jejunium etiam dicitur quotidiana temperantia & sobrie-
tas, de quo loquitur Petrus, 1. Epist. 5. v. 8. *Vigilate & sobrii estote.*
100. Verum de ejusmodi jejuniis hic non est quaestio; Est
igitur Jejunium, de quo hoc loco agimus, & Graecis *νηστεία*, à
privativa particula *α* & *νηστέω* dictum, spontanea à quovis cibo
abstinentia, cum humilitate animi, divinam clementiam sim-
pliciter ambientis.

Ieiunium
quid.

101. Ut igitur jejunium hoc Deo placeat: sequentia oportet,
habeat requisita. 1. ut sit conjunctum cum spirituali jeju-
nio, quod est per fidem in Jesum Christum, abstinentia ab
omni cibo ac fermento malitiae: hoc enim si abest, externum
illud & corporis jejunium Deus non curat. Sic enim minatur
Jehova, Jerem. 14. v. 12. *Cum ieiunaverint, non exaudiam preces
eorum, quia à peccatis non abstinent.* 2. Ut fiat sine superstitione
operis meritorij, placatorij, pro peccatis satisfactorij, spei,
cultus Dei & sanctorum, item sine superstitiosa observatione
certi temporis, aut discrimine ciborum, carnis, ovorum, la-
cticinij, piscium, leguminum, &c. Quemadmodum haec & si-
milia in papatu superstitiosè observantur: & pro cultu divino,
falsissima opinione reputantur.

Ieiunium
quomodo
placeat
DEO.

102. Jejunium dividi potest, vel ratione temporis, vel ra-
tione subjecti.

Ieiunij di-
visio.

103. Ratione temporis jejunium dividitur in id, quod est
unius diei & in aliud, quod est plurium dierum.

104. Jejunium unius diei est spontanea, non carnis, uti
diximus, non ovorum aut lacticinij, sed sive prandij usq; ad
vesperam: sive coenae usq; ad sequentis diei prandium, sive
utriusq; & prandij & coenae, aliarumq; corporis delectatio-
num, abstinentia.

Ieiunium
unius diei.

105. Jejunium plurium dierum est abstinentia à cibo &
potu,

Ieiunium
plurium
dierum.

potu, aliisq; corporis delectationibus, quantum natura cu-
jusq; ferre potest: Non igitur hic ab omni cibo abstinendum,
quia id natura non admittit: sed aliquid cibi sumendum, idq;
sine ejus discrimine, verum parcè, tenuiter, absq; omnibus
lautitiis, tantum ad necessitatem, non ad voluptatem, sive ex-
tremam sarietatem: alias non esset jejunium.

106. Ratione subjecti, jejunium dividitur in publicum
& privatum.

*Jejunium
publicum.*

107. Publicum est, quod autoritate illorum, qui præ sunt
Ecclesiæ, indicitur, ac pro ratione incidentis necessitatis, in
loco publico ab universa Ecclesiâ celebratur. Exempla in Ve-
teri Testamento sunt quamplurima: *Ion. 3. v. 7. Iud. 20. v. 26.*

Ier. 36. v. 9. Joel. 1. v. 14. c. 2. vers. 17. Iudith. 4. v. 10. Iud. 20. v. 10.

1. Sam. 7. v. 5. 6. Habentur & in Novo, Act. 13. v. 2. & 14. v. 23.

*Privatum
jejunium.*

108. Privatum jejunium est, quod quilibet, vel per pu-
blicam vel per privatam incidentem necessitatem, agnoscens
peccata, tentationes Sathanæ sentiens, vel à Deo aliquid im-
petrare cupiens, privato arbitrio & consilio suscipit. *2. Sam. 12.*
v. 16. 17. Psal. 35. v. 13. Ego autem, cum ipsi egrotarent, induebar
sacco, humiliabam in ieiunio animam meam, oratio mea in strum verte-
batur. Vide Dan. 9. v. 3. Nah. 1. v. 4. Marc. 2. v. 18. Luc. 2. v. 37. Act. 10. v. 3.

109. Hactenus fuit invocatio simplex; sequitur altera,
quæ cum obligatione certâ conjuncta est: quæ duplex: *Votum*
& Iuramentum.

Votum.

110. *Votum* nonnulli à voluntate dictum volunt, tan-
quam à voluntate, deliberatione & proposito profectum:
Græcè εὐχὴ. Act. 21. v. 25.

Votū quid.

111. Est autem votum promissio sancta ac religiosa, DEO
ab hominibus fide justificatis consultò & sponte facta, ad ali-
quid vel faciendum vel omittendum, quod DEO gratum &
acceptum esse constat, idq; in gloriam DEI & utilitatem pro-
ximi.

112. Quæ definitio, quia causalis est, per causas utiq; re-
solvatur. Primum igitur externas, deinde internas causas vi-
deamus.

*Causa effi-
ciens.*

113. Prior causa externa est efficiens, quæ in definitione
nomina-



nominaur, non quivis homo, sed qui fide justificatus. Cum enim votum & donum hoc DEO gratum esse debeat, necesse est, ut ei quoq; persona, hoc est, causa efficiens sit grata: alias & hoc loco certum & immotum erit istud Apostoli: *Quicquid ex fide non est, peccatum est*, adeoq; Deo displicet: Ut igitur verum suum finem votum assequatur, oportet talem habeat efficientem.

114. Altera causa est finis, cui & cuius. Finis cui est ipse DEVS: sic enim loquitur nostra definitio: *Votum est promissio Deo facta*. Rationes sunt. 1. quia solus DEVS ut omnium finis est & esse debet, ita quoq; ipsi nos totos nostraq; omnia debemus. 2. quia solus est *καρδιογυνης*, & jus habet animadvertendi in voti violati reos. *Deut. 10. v. 17. & 23. vers. 21. Psal. 5. v. 24.* 3. Quia votum est species religiosæ invocationis, & confessionis, quæ soli DEO debetur.

Finis cui.

115. Unde tale colligitur *νόμισμα*: Nihil omninò fovendum esse, nisi prius certò constet, id placere ei, cui votum nuncupatur; hoc est: DEO nostro: adeoq; sit ex verâ fide.

116. Fines cuius vel sunt generales, vel speciales. Generales determinat nostra definitio: nempe gloriam DEI & utilitatem proximi. Illegitimum igitur fuit iuramentum matris Michæ, *Iud. 17. v. 3.* Item Herodis, *Matt. 14. v. 7.* & omnium illorum vota illegitima sunt, qui paupertatem vovent, & ex alio saginantur. De finibus specialibus in sequentibus agitur.

Finis cuius generalis.

117. Causæ internæ sunt materia & forma: Materia Votorum continetur illis definitionis verbis: *ad aliquod faciendum aut omittendum, quod DEO gratum & acceptum est*. Constituit igitur materiam voti res, non quælibet, sed ejusmodi, quæ respectu DEI vel voveri potest, vel debet. Oportet itaq; 1. Ut illa sit possibilis & in nostrâ potestate. 2. Ut sit licita, & DEO probata: quod sciri potest, quando ad amussim scripturæ examinatur, uti etiam illud ex præcedentibus colligitur.

Materia votorum.

118. Forma est partim generalis, partim specifica. Generalis exprimitur per genus definitionis, nempe *quod sit promissio*.

Forma generalis.



*Forma spe-
cialis.*

119. *sio*, cui distinctionis ergò additur, quòd sit sancta & religiosa: Spe-
cifica, quòd sit facta spontè & consulto; quorum prius excludit
coacta; posterius inconsulta vota.

119. Vnde colligitur ejusmodi *πρόσμομα*. In Novo Testa-
mento vota non esse ex lege sive legalia, sed ex fide sive Evan-
gelica: quandoquidem ut per adventum Christi aliæ cæremoni-
æ, ita quoq; vovendi necessitas sublata est: Nihilominus li-
cet Christianis injuncta non sint, non tamen illis statim sunt
illicita, quando nimirum ad benè agendum voluntatem con-
firmant, & à malè agendo cohibent.

120. Vnde colligitur alterum. Votum de re licitâ factum
non facile rescindendum esse; quia, si coram hominibus; Ergò
multò magis coram DEO peccatum est, verbum levitate &
inconstantia mentis facere irritum.

*Votorum
divisio.*

121. Hactenus definitio & essentia votorum considera-
tio fuit. Sequitur divisio: Votorum aliud est generale, aliud
speciale est.

*Votum ge-
nerale.*

122. Generale illud est, quod Christiani vovent, & nun-
cupant in baptismo, ubi Sathanæ & ejus operibus renuncian-
tes in servitutem DEI sese addicunt, 1. Pet. 3. v. 21. Matth. 28.
v. 19. Rom. 6. v. 17. 18. Eph. 5. v. 26. 27. Huic voto pij perpetuò
sunt obnoxij, ideoq; ejus semper debent esse memores, ut id
quod in baptismo abundè voverunt & deinde palàm professi
sunt, retineant, nempe fidem & bonam conscientiam. Atq;
votum hoc ad omnes fœderatos pertinet.

*Votum
speciale.*

123. Speciale est, quod aliquis peculiari quâdam causâ
motus, DEO suo spontè promittit, ita quidem ut semper in
communi voto includatur.

*A voto qui
excludun-
tur.*

124. Ab hoc itaq; voto excluduntur, 1. qui rationis ac ju-
dicii usum per ætatem non sunt assecuti, 2. qui nondum sunt
sui juris, sed vel patria, vel matrimoniali vel herili autoritate
constringuntur. Hinc in Veteri Testamento uxoris vivo ma-
rito, liberorum sub potestate parentum, servi nondum liber-
tate donati, vota infringi poterant, Num. 30. v. 4. 6. 7.

125. Vnde colligitur ejusmodi *πρόσμομα*: Omne Votum
speciale

speciale ad facultatem, quam DEVS nobis concessit, attem-
perandum esse, debereq; nostræ convenire vocationi.

126. Est duplex: vel *δέμιον*, legitimum, licitum, seu pi-
am: vel *ἀδέμιον*, temerarium & illegitimum.

Votum sp-
ciale du-
plex.

127. Licitum votum est, quod à personâ liberâ de rebus
fit licitis bono fine.

Licitum

128. Licitum votum vel respicit tempus præteritum, vel
tempus futurum.

129. Illud est gratiarum actionis exercitium; suscipiturq;
2. Ut DEO pro beneficiis acceptis nostram testemur gratitu-
dinem: Tale votum fuit Jacobi, *Gen. 28. v. 20.* Israelitarum
Ios. 6. v. 10. Annæ, *1. Sam. 1. v. 11.* Imò omnia vota illa, de qui-
bus agitur in Psalmis, *22. v. 26. Item, 56. v. 13. Item 116. 14. 18. 2.* Ve
ad deprecandam iram DEI ob admissa delicta ipsi à nobis pœ-
nam exigamus, *1. Cor. 11. v. 31.*

130. Hoc est pœnitentiæ exercitium, suscipiturq; 1. ut
certæ rei in se mediæ usum ad tempus nobis præcidamus, ut
cautius agere discamus, *1. Cor. 9. v. 27.* 2. Ut eo veluti stimu-
lo ad pietatis & vocationis nostræ officia excitemur.

131. Votum illicitum est, quod à personis etiam
non sui juris suscipitur de rebus illicitis malo fine, *Act. 23.*
vers. 14.

Illicitum

132. Ejusmodi vota, quia ex pietatis regulâ & verbi DEI
præscripto non fuerunt nuncupata vel impossibilia, irrita me-
ritò sunt censenda, juxta dictum Isidori: *In male promissis re-
scinde fidem: In stulto voto, muta decretum; quod incautè vovisti, ne
facias, impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur: Neq; debet vo-
tum esse iniquitatis vinculum.*

133. Tale votum est illorum, qui in monasteriis Pontifi-
ciorum obedientiam vovent Abbati seu certo ordini. Eo enim
se subtrahunt ab obedientiâ parentum, magistratum, &
ipsius Christi.

134. Et profectò nullo modo ferendum est, quòd Ponti-
ficij observationes monasticas castitatem, paupertatem spon-
taneam & obedientiam ad consilia Evangelij referant.
Quando



Quandoquidem Evangelium non consulit discrimina vestium, ciborum, abdicationem rerum propriarum: sed sunt istæ, traditiones humanæ, de quibus omnibus dictum est: *Estote non commendat DEO.* 1. Cor. 8. v. 8. quocirca neq; cultus justificantes sunt, neq; consilia perfectionis.

Iuramentum quid. 135. Hæc de voto. Sequitur *Iuramentum*, quod nihil aliud, quam invocatio DEI, quâ petimus, ut sit testis nostri sermonis & puniat fallentes.

136. Causæ Juramentorum etiam externæ & internæ sunt. Externæ, efficiens & finis. Efficiens est vel *πρώτος* ita dicta, vel impulsiva.

Causa efficiens. 137. Illa est hominis. 1. mens, intelligens esse rem honestam, possibilem, necessariam, de qua velit jurare: 2. Et voluntas libera non coacta.

138. Ob reverentiam igitur juramenti non quosvis ex hominibus ad præstandum Jusjurandum admittimus: Nam 1. impuberes, 2. furiosos, 3. eos, qui sui juris non sunt. 4. perjurij convictos, inde submovemus.

Impulsiva. 139. Impulsiva est mandatum DEI, mandatum magistratus sive judicis & vocatio. Cætera enim juramenta omnia, quæ nullam ex hisce impulsivam habent, sed privata futilitate, aut temeritate non considerante, quàm horrible vinculum sit jusjurandum sine necessariâ causâ de re qualibet fiunt, severissimè prohibentur à Christo, *Matth. 5.*

Christianis licet iurare. 140. Aliàs omninò jurare licet etiam piis & Christianis, id quod partim testimoniis scripturæ, partim exemplis demonstratur. Testimoniis quidem, *Deut. 6. v. 13. & 10. v. 20. Dominum DEVM tuam adorabis & illi soli servies, & per nomen illius iurabis.* Jer. 4. v. 2. *Iurabunt vivit Dominus, in veritate & iudicio;* Item c. 12. v. 16. *Iurabunt, vivunt Dominus & non in Baal.* Hebr. 6. vers. 16. *Omnis controversiæ finis est iusiurandum.* Exemplis 1. ipsius DEI & Christi *Psal. 110. v. 4. Iuravit Dominus & non poenitebit eum:* Gen. 22. v. 16. *per memetipsum iuravi,* Jer. 11. v. 5. *Iuramentum, quod iuravi.* *Matth. 5. v. 18. c. 6. v. 2. 5. 16. c. 8. v. 10. c. 11. v. 11. Ioh. 3. v. 3. 5.* Et passim in historiâ Evangelicâ, 2. aliorum sanctorum. Paulus jurat *Rom. 9. v. 3. 2. Cor. I. v. 23.*

140. Abraham & Abimelech jurant. Gen. 21. Joseph. Gen. 42. In
libris Regum aliquoties reperitur hæc forma Juramenti: Hæc
faciat mihi Dominus & hæc addat: hoc est: DEVS sumat de
me penas gravissimas, si fefellerò.

141. Finis Juramenti sunt tres: 1. Ut Deo debitus præ-
stetur honos. Deut. 10. v. 20. Jer. 12. v. 16. 2. Ut veritas confir-
metur. 3. Ut innocentes, per calumniam circumventi libe-
rentur.

Finis iura-
menti.

142. Materia est objectum circa quod jusjurandum versa-
tur. Constituunt illud res honestæ, non prohibitæ lege DEI &
possibiles, quæ sunt in nostrâ potestate. Nam iusjurandum non
est, quod neq; ius n. q; iurandum est.

Materia.

143. Forma in definitione exprimitur & continet duas
partes. Altera est invocatio DEI, ut ipse καὶ θεὸς ὁμοῦς sit testis,
nos vera dicere; Altera imprecatio nostri, quâ devovemus nos
penis & vindictæ divinæ, si fallamus juxta illud: Non habebit
in fontem Deus quisquis vanè usurpavit nomen eius. His addi solet so-
lennis quædam ceremonia in oculos incurrens.

Forma.

144. Species Juramenti potissimum duæ sunt, ut patet
ex illis, quæ hæctenus proposita sunt. Primum est ἐπιθετικόν,
impositum à magistratu, cui obedientia debetur; quod ob
ditas causas recipi debet: 1. Ut nos ipsos turpi crimine libere-
mus. 2. Ut amicos ex periculis servemus. Deinde est Juramen-
tum susceptum cogente vocatione: idq; recipiatur ut nostram
& aliorum famam & vitam tueamur, ut Paulus confirmat, se
vera dicere, in testimonium vocato ipso Deo, Rom. 9. v. 1.

Species iu-
ramenti.

145. Tandem sequentes errores damnamus & rejicimus.
Primò. Pœdicianorum, Adamitarum, & Cyrenaicorum Phi-
losophorum, qui omnem orationem supervacaneam: ideoq;
nihil adorandum esse censuerunt.

Errores.

146. Deinde, Ethnicorum, qui non solum genios suos,
tam bonos quàm malos, sed turpissimas quoq; bestias, præ-
terq; multa humani cerebri figmenta, affectus etiam suos,
atq; in ijs etiam maximè pravos & incompósitos adorarunt.

1.

147. Tertiò Ophitarum, qui serpentem, à quo Eya de-
cepta, tanquam salutis nostræ autorem divinis honoribus co-
luerunt.

2.

D

148. Quar-



4. 148. Quattò. Sathanicorum, qui Satanam & diabolum ipsum, tanquam plurimorum bonorum causam, religiose adorandum contenderunt.
5. 149. Quinto. Simoniacorum, & Angeliacorum, qui Angelos divino honore & cultu afficiendos & colendos esse adseruerunt.
6. 150. Sextò. Messalianorum, sive Euchetarum, qui in solis bartologiis Dei cultum & salutis causam reponebant.
7. 151. Septimò. Marcionitarum & Manichæorum, qui negant, res corporales à Deo petendas esse.
8. 152. Octavò. Pelagianorum, qui preces quidem non planè inutiles esse judicabant, necessarias verò eas negabant.
9. 153. Nonò. Pontificiorum, qui docent 1. Mortuos pro singulis hominibus, rebus, eventis orare. 2. Propterea eos adorandos esse. 3. Et vicissim pro mortuis adorandum. 4. Invocationem filij DEI ex sacris literis probari non posse. 5. Idola invocanda esse. 6. Preces nostras esse satisfactorias & meritorias. 7. Eas latinè in publicis nostris Ecclesiæ conventibus concipiendas & efferendas. 8. Eas in certo loco, puta, in hoc vel illo sacello, vel hoc vel alio tempore fusas, efficaciores esse, ideoq; votivas ac longinquas peregrinationes ad certa loca suscipiendas. 9. Oratione dominica ligneas & saxeas statuas salutandas. 10. Eam ignotà linguà proferendam. 11. panem corporalem à Deo sæpiùs petendum non esse. 12. Eandem petitionem de sacramentali pane intelligendam esse. 13. salutationem Angelicam huic orationi annectendam. 14. Vtramq; ad certum glorum numerum sæpius demurmurandam esse. 15. Tandem his crassissimis & horrendis erroribus, annumeretur & ille, quòd Pontifex Romanus, seipsum potentissimis totius orbis principibus imò ipsi Imperatori atq; adeò omnibus hominibus adorandum præbet & exemplo Caligulæ, & Domitiani pedes suos jisdem deosculandos fastu planè intolerabili obtrudit.
10. 154. Decimò, illorum, qui orationem dominicam ad moribundos nihil attrinere statuunt, propterea quod pane haud amplius egeant.

155. Undecimò, eorum, qui propterea, quod injuriarum tenaces, inimicis remittere nihil possunt, quintam petitionem ex eadem oratione expungunt. *Cassian. Coll. 9. c. 22.*

11

156. Duodecimò. Sacerdotum Ægyptiorum, Gymnosophitarum Indorum, Pythagoræorum, & aliorum Philosophorum Ethnicorum, qui abstinentiâ à cibis nonnullis mentes purgari, & ad enthusiasmos comparari putabant. Deinde, Marcionitarum, Manichæorum, Tacianorum, & Eucratitarum, qui quosdam cibos per se malos dicebant, ideoq; rejiciebant ac damnabant. Tertio, Montanorum, qui distinctionem ciborum & jejunia legibus constituebant. Tandem. Pontificiorum, qui veteres illas superstitiones partim ex Orco revocarunt, partim etiam meriti opinione auxerunt.

12.

157. Decimotertio. Circa vota rejicimus errores 1. Ethnicorum, qui idolis & Diis falsò dictis, ventis etiam ac Dæmonibus vota nuncupant. 2. Pontificiorum, qui 1. votum quoddam indebitum, quendam DEI cultum esse opinantur. 2. Monachorum & sacrificulorum, qui inconsideratè & pugnantiâ cum voluntate Dei vovent. 3. Monasticam esse perfectionem Evangelicam, mereri vitam æternam, votumq; esse opus supererogationis. 4. Factum cum voto magis meritorium esse, quàm sine voto. 5. voto, matrimonium solvi. 6. Vota omnia sine exceptione servanda esse. 7. Carthusianorum, qui perpetuam à carnibus abstinentiâ vovent. 8. Ipsorum Pontificum, qui in votis redimendis Deum ipsum æmulari non verentur.

13.

158. Decimoquarto. Circa Juramenta errores vitandi, 1. Humiliatorum, Anabaptistarum, Phrygum, Essænorum, qui omninò non jurandum esse censent. 2. Manichæorum, quibus jurare simpliciter *ἀδικόλογον*, 3. Pharisæorum, qui obliquas jurandi formas excusabant. 4. Priscillianistarum, qui perjuriam in negotio religionis probabant. 5. Pontificiorum, qui 1. jurant, se fore idololâtras, & impuros cœlibes. 2. Perfectis cōvenire juramenta negant. 3. per creaturas jurant, easq; invocant. 4. Dæmones, infantes, res inanimatas adjurant non sine ritu magico. 5. Fidem hæreticis servandam non esse sanxerunt in.

14.

Con-



**Concilio Constantiensi, viq; illius decreti postmodum
multos pios ac fideles perfidiosissime & crude-
lissime trucidarunt.**

F I N I S



99 A 6935

ULB Halle 3
005 360 463



TA 700







PARTITIONVM
Theologicarum

DISPUTATIO XXXIV.

De

INVOCATIONE,
IEIUNIO, VOTO
ET IVRAMENTO.

In inclutâ & Florentissimâ Academiâ Wittebergensi proposita

PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

WILHELMO NIGRINO CADA-
nensi Bohemo.

Horis locoque consuetis.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

